

Bibliothèque numérique

medic@

Chaupin, Jean-Pierre-Arnulphe -
candidat / Louis, Antoine - président. -
[De ventriculi et lienis morbis
chirurgicis]

1755.

*Paris : Typis Delaguette,
Collegii & Academiae Regiae
Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobaeâ, sub signo
Olivae*

Cote : ms 2342, n°49



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0049

T H E S E S

E X

A N A T O M I A

E T

C H I R U R G I A.

Quas, DEO JUVANTE, & Præside M. ANTONIO LOUIS, Artium Liberalium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum Professore Regio, Academia Regiæ Chirurgorum Consiliario & Excerptorum Secretario, Regio librorum Censore, & è Regiâ Lugdunensi Societate, tueri conabitur JOANNES-PETRUS ARNULPHUS CHAUPIN, Parisiensis, in Almâ Parisiensi Universitate Liberalium Artium Magister, Consiliarius Regis Chirurgus-trimestris.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Lunæ 15^a Septembris, anno salutis 1755. à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO
ET SOLEMNI COOPTATIONE.



Typis DELAGUETTE, Collegii & Academia Regiæ Chirurg. Typographi;
viâ San-Jacobæ, sub signo Olivæ.

THESES

ANATOMIA

CHIRURGIA

Par. 1. De Jacturae, et Rupturae M. Anterioris
Lumbi. Auct. J. B. de la Motte, Med. Doct.
Hujusmodi Jacturae, et Rupturae, non sunt
hujusmodi Jacturae, et Rupturae, sed sunt
hujusmodi Jacturae, et Rupturae, et sunt
hujusmodi Jacturae, et Rupturae, et sunt
hujusmodi Jacturae, et Rupturae, et sunt
hujusmodi Jacturae, et Rupturae, et sunt
hujusmodi Jacturae, et Rupturae, et sunt

PARIS 1712

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS

De Jacturae, et Rupturae M. Anterioris
Lumbi. Auct. J. B. de la Motte, Med. Doct.
Hujusmodi Jacturae, et Rupturae, non sunt
hujusmodi Jacturae, et Rupturae, sed sunt
hujusmodi Jacturae, et Rupturae, et sunt
hujusmodi Jacturae, et Rupturae, et sunt
hujusmodi Jacturae, et Rupturae, et sunt
hujusmodi Jacturae, et Rupturae, et sunt
hujusmodi Jacturae, et Rupturae, et sunt

PROACTE PUBLICO

ET SOLEMNI COOPTATIONE



Typis Thomeo, Collegii & Academiae Regiae Chirurgicae
in Regio Jacobae, in Regio Jacobae



D. O. M.

THESES

ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.

I.

EX ANATOMIA.



ANGUIS vitæ nostræ fomes & causa, dùm perpetuo agitur circuitu; partibus constat, quarum aliæ motibus vitalibus impulsæ facilius de corpore secedunt: aliæ verò post varias comminutiones & alterationes, necessaria vitæ munia præstare nequeunt, & è reliquarum massâ exturbari necesse est. His restituendis, humoribusque redintegrandis, succus alibi-

A

lium inservit, in chylum & sanguinem immutandus. Hic autem succus ex alimentis elicitur, & in ventriculo præcipuè præparatur; siquidem in eo cibi dilutione macerantur, coctione digeruntur, ejusque actione pinfuntur.

Ventriculi structura.

ŒSOPHAGUS prætergresso diaphragmate, adnexum seu continuatum ventriculum habet, qui ab hypochondrio sinistro ad dextrum totam regionem epigastricam occupat: utriculo luforio vulgò comparatur. Tumet cœco elato fundo mox sub diaphragmate contra costas & lienem, maximo arcu infernè elongatur, supernè minori incisus est, majorem & minorem curvaturam vocant, quæ sensim sensimque à curvitate decedentes in conum evadunt, quæ est ventriculi extrema pars in hypochondrium dextrum sub hepate declinans. Faciem alteram abdominis musculis objicit, vertebri alteram. Dùm verò ingestis ampliatur & tumet, situm nonnihil mutare videtur. Maxima enim curvatura inferior, sensim sensimque elevatur & in anteriora erigitur; arcus superior posteriora respicit, & in dextro hypochondrio ventriculi conus magis in posteriorem partem devolvitur & inclinatur; atque hæc sitûs mutatio præcipuè evenit propter obicem illius anguli maximè resistentis inter diaphragma & vertebbras. Quemadmodum ab œsophago continuatur ventriculus, ita & ipse in intestina elongatur: duo ergò habet orificia alterum, superius & sinistrum, cardiam vocant; alterum inferius & dextrum, pylorum seu janitorem. Si inflato ventriculo linea ducatur à vertice tumente in hypochondrio sinistro ad dextram partem, hæc duo orificia neque in eâdem altitudine, neque in eâdem lineâ esse videbuntur: cardia etsi non admodum anterior sit, non est tamen adeo posterior ac pylorus, qui ob productum in posteriora ventriculi conum, totus penè ibidem recondi observatur. Quatuor tunicis conflatur ventriculus: exteriorem membrana-cœam à peritonæo mutuatur; hanc à sequenti separat, seu potius utramque connectit Ruifchiana compages cellulosa, in quâ sedent magni vasorum rami. Quæ tunica priori substernitur, musculosa, valentioribus fibris componitur; harum ordinationes, variaque superposita segmenta seu strata semet decussantia descripsit *D. Helvetius* (a), jam luculenter à *Fallopio* observata (b). Fibrarum aliquæ ab œsophago ad pylorum excurrunt; aliæ sinistrorsum ventriculi saccum cæcum versùs descendunt, & huic circulos dant concentricos: fibrarum tam providè coordi-

(a) *Mém. de l'Acad. des Sciences.* 1719.

(b) *Gabrielis Fallopii Obs. Anatom. ad Petrum Mannam.*

3
 natarum contractionē moderatā cibi subiguntur, sensimque ad intestina expelluntur. Fibræ musculares ad pylorum arctius conjunctæ, ventriculi extremam partem coarctant, crassiorem validioremque efficiunt. Hominibus edacibus, ventriculum maximè crassum & lacertosum natura largita est; hinc ægrius inediam sustinent, ventrisque vacui furorem experiuntur. Tertia tunica quæ nervosæ nomine insignitur, ope contextûs cellulosi laxioris cum supradictâ cohæret; in eaque vasa quæ musculosam tunicam perforant, majoribus truncis veniunt, & in angulolum rete dividuntur. Tunica autem nerveæ, quæ alba, firma & crassa est, nervisque stipata, plicas sensiles sequuntur, vacuo ventriculo, vasa. Glandulis humorem mucosum secernentibus instructa est hæcce membrana, quam sequitur, & cui adhæret villosa tunica mucosa, mollis, rugis amplis complicata, & innumeris foraminulis pertusa, quæ glandularum muciferarum ductus excretorios sustentant, & arteriarum fines, è quibus limpidus humor salivæ similis destillat, chylo diluendo accommodatus; liquor gastricus dicitur: humor verò mucosus villosam inungit membranam, eamque ab acriorum impressione utcumque defendit. Ad finem pylori ruga est insignior seu valvula, speciem referens annuli tumentis, lubrici & in duodenum inclinati.

VASORUM sanguiferorum in ventriculo communis mater cœliaca, quæ pyloricam, gastricam utramque, gastro-epiploicas, aliasque haud paucas arterias ex coronario, gastrico & splenico ramo in omne ventriculi latus distribuit; sicque plures sunt vasorum trunci, ut dum premitur ventriculus, non adeò facilè adfluxus possit intercipi. Venarum rami arteriosis focii incedunt & per ipsos in venam portarum sanguis regreditur. Nervis multis & insignibus, quos octavum par generat, eximie sensilis est ventriculus; eò ut acria quæ lingua non discernit, stomachum subvertant. Vasa itemque insigniora lymphatica desuper ventriculum videri queunt, quæ per utrasque ventriculi curvaturas præcipuè incedunt, glandulas ibidem positas prætereuntia, utroque omento suffulta, ut ad ductum thoracicum, vel ad hepatis fissuras, ibidem cum aliis lymphaticis conjuncta, terminentur.

Ventriculi vasa.

IN ventriculum cibi demittuntur; ibique foveantur calore & macerantur. Porro aër, vel inter deglutiendum assumptus, vel cibis missus, vi caloris expanditur, cellulas quibus continetur, frangit; sicque vias parat subituro humori gastrico. Aëris actionem probant flatulenta ventriculi distensio, quæ morbosè quidam afficiuntur, ructusque varii qui pro diversis quibus inquit-

Alimentorum digestio.

Aij

nantur halitibus; acidi, amari, nidorosi, fœtidi, argumento sunt cibos corrumpi in nauseosum liquamen, acefcens læpè, ad putrescentiam aliquando vergens vel rancescens pro variis ingestorum qualitatibus: nulla tamen fit in ventriculo perfecta vel fermentatio, vel putrefactio, à quibus omninò alienus est naturæ finis. Vis adfusi liquidi gastrici, & ipse calor putrefaciens, ne plenum acorem cibi capiant, impediunt: condimenta autem varia, ut sal, acetum, piper, acria aromata, alliata, putrescentiam carniū corrigunt; hæc enim omnia, luxuriantis delicatorem gulæ causâ aut condituræ, alimentis addita, non nutriunt, cum & gelatinosâ lymphâ destituantur, & farinoso alibili. Irritatæ à flatu, pondere, vel incipiente cibi acrimoniâ fibræ ventriculi carneæ, vehementiùs constringuntur; circulares cavitatem angustant, cibum cum liquidis interterunt, & quasi inter manus oppositas premunt, eumque ad pylorum sensim promovent. Sed cum ad perfectum digestionis opus mora requiratur, nimis properato ciborum egressui obstat, non modo pylori valvula, sed & ipsius ventriculi motus, qui cibos & fursùm perindè repellit, & urget ad inferiora. In his-ce motibus nihil esse tritui simile contendunt nonnulli, ex eo quod ne baccas quidem aut mollissimos conterat vermes ventriculus: huic nihilo-feciùs multum inest roboris, quippè cum fibræ multò magis quàm unâ tertiâ fiant breviores.

Quæ sit in ventriculi actio septi transversi & musculorum abdominis.

POTENTIOREM vi peristalticâ ventriculi asserunt eam; quam septum transversum & abdominis musculi exercent; quæ opinio rationi, perspectèque cognitæ partium dispositioni adversatur. Nil enim prodest actio septi transversi & musculorum abdominis, licet aliàs aliquid auxilii præstitura, si ventriculi fibræ quâcumque de causâ languidæ sint, imbecilles; & immediatâ actione in cibos destituatur ventriculus. Actioni vesicæ in expellendâ urinâ dicuntur etiam opitulari musculi abdominis & septum transversum actione compressoriâ quâ funguntur. Sed quid horum nifus in casu paralysis vesicæ? Ventriculus, structuræ vel actionis ratione, vesicæ urinariæ æquiparabilis est; uterque enim musculus est cavus, sensu donatus, irritabilis, passivè extensibilis, agens in contenta. Si ultra limites vesica distendatur, perit ejus actio, lotium retinetur, irritâ musculorum actione, qui urinæ excretionem promovere dicuntur. Num & idem accidit ventriculo? Helluones, palati mancipia, & quorum Deus venter est ventriculum quasi sarcinariam manticam habent, cruditatibus continuò laborant, affectibusque à ventriculi laxitate & atoniâ oriundis; quibus averruncandis vita sobria plerumque sufficit; gulæ etenim temperando, fibrarum ventriculi tonus ref-

titui potest : assiduus è contrà crapulis & ingurgitationibus omnimoda morborum incumbit cohors ; læta autem senectus & mors , ut aiunt , sine morbo , temperantiæ præmium est indubitatum.

ACTIONE ventriculi moderatâ subigi cibos , & ad intestina sensim expelli compertum est : actione autem validiori & convulsivâ ingestorum per os fieri ejectionem , quam vomitum vocant , statuimus ; acciditque cum gravis stimulus irritando , vellicando vel erodendo afficit ventriculum , organum quàm maximè irritabile. Hæc sententia antiquitate nititur , & plurimorum suffragiis Anatomix laude insignium , inter quos *Vieuessenium* , *Littrium* , & illustr. *Hallerum* , honoris causâ nominare juvat. Quanta sit ventriculi contractilitas patet inspectione anatomicâ eorum qui longam inediam passisunt : *Hygmorus* & *Santorinus* ventriculos in hoc casu ita contractos & corrugatos viderunt , ut pro intestinis haberi potuissent. Quidam ex Neotericis omne vomendi opus fortiori diaphragmatis & musculorum abdominis actioni tribuerunt , vim quâ pollet ventriculus , ei perperam denegantes. Hujus-ce commenti Patronus D. *Chirac* (a) , & hanc erroneam opinionem experientiâ fallaci in cane vivo institutâ confirmare conatus est. Non mirum si magna fuerit in hoc animali musculorum abdominalium actio post inflictum vulnus & emeticum exhibitum. Doctè refutatur hoc experimentum à Cl. *Morgenbessero* (b). Vomitum autem , non mediante diaphragmatis contractione fieri exindè constat , quòd ingesta per os ejici nequeant nisi tempore expirationis , quo diaphragma in thoracem redux , vel à ventriculo recedens , quiescit : & dùm inspirando , vires in ventriculum exercet diaphragma , cibi deorsum propelluntur , non sursum , siquidem tunc constringitur orificium ventriculi superius , ab agentis septi transversi musculis inferioribus. Experientiâ quotidianâ comprobatur in expellendis fœcibus induratis , fortiter actione si multaneâ , septum transversum , abdominisque musculos sese contrahere absque vomitu. Horum verò contractionem aliquid adjumenti vix conferre in vomitu crediderimus , cùm frustrato eorum nisu ventriculus contrahatur ; & licet ii maximâ contractione partes in abdomine contentas premant , non nisi compressione laterali agunt , & ingesta , superiora versùs , potius quàm ad inferiora hac propulsione compelli non posse , sat

Quomodo fiat vomitus.

(a) *Mém. de l'Acad. des Sciences.* 1700.

(b) *Disputatio de vomitu*, Lipsiæ 1738.

superque cuilibet attendenti patebit. Præterea constat eos qui facilius vomunt, nec diaphragmatis, nec abdominalium muscutorum percipere nifum; & pueros lactentes à majori lactis ingesti copiâ exonerare ventriculum, solâ contractione fibrarum muscularium.

Resorptio liquidorum in ipso ventriculo.

QUASDAM urinæ vias esse per poros ventriculi & vesicæ in ipsam vesicam, in salutato sanguine, pro explorato habuit D. Morin, Med. Doct. (a). qui assequi mente non poterat tam acceleratam secretionem quæ par esset tot matulis, intra breve temporis spatium replendis, si hoc in casu lotii materies per viam renum consuetam destillaret. Quam multis argumentis stabilire conatus est opinionem, vir aliundè integerrimâ vitâ & rei herbariæ studio spectatissimus, hanc funditùs evertit consideratio Anatomica mesenterii & intestinorum quæ vesicam à ventriculo separant. Nonnulli ut rationes citissimæ urinæ reddant, venis lacteis ventriculum donari autumant, quæ si demonstratæ potiùs essent quàm fictæ, remaneret ferè idem difficultatis nodus, quandoquidem per angustâ viarum lactearum in sanguinem lentè liquida progredierentur. Sed citissimæ refectiones quæ vino odorato, jusculis, ovis forbilibus atque ejusmodi alimentis fiunt, bibula vasorum orificia esse in ventriculo probant, quæ chylum & liquidum suctum rectè subministrant venis ipsis sugentibus; undè breviori tempore per venam portarum in cavam liquida citiori gradu ad renes appellant, quàm per avia itinerum ad canalem thoracicum & venam subclaviam. Manifestum hujusce resorptionis argumentum ab injectionibus anatomicis petitur, quæ faciliè in cavum ventriculi & intestinorum ex vasis sanguineis quandoque penetrant; tùm si per venam portarum contrà eas partes aërem insufflemus, utrasque distendi ab irruente aëre & tumere observamus, præcipuè in junioribus. Hinc in solvendis hepaticis obstructionibus, quæ adhuc solvi possunt, aposematum ex aperientibus, aquarum mineralium appropriatarum vini chalybeati, aliorumque medicaminum quæ præscribere solent, efficacior usus, quàm in discutiendis aliorum viscerum infarctibus.

Lienis structura & usus.

IN hypochondrio sinistro, super ventriculi extremitatem, obliquè dorsum versùs sese accommodat Lien, viscus atro-rubens: ventriculo per omentum & vasa brevia, diaphragmati per peritonæum tanquam ligamento connectitur; sustentaturque

(a) *Mém. de l'Acad. des Sciences.* 1701.

à proximo colo, cui sicut & reni, per multam cellulositatem
 adharet. Observatu dignissimum est, lienis situm esse variabi-
 lem, & ventriculum sequi: quando is vacuus est & inanis, tunc
 lien magis ad perpendiculum ponitur; quando repletus ventri-
 culus antrorsum mediâ curvaturâ adsurgit, unâ tunc situm mu-
 tat lien, ut penè transversus incumbat. Instar spongiæ mollis
 nonnunquam tumidus, distentus cernitur; aliàs ejus tunica ru-
 gosa, plicataque apparet, & lien minus tumet. Magnus in lan-
 guidis; in subitò enectis, validisque corporibus parvus est. Va-
 cuo ventriculo laxior est & amplior, ab eodem pleno contra
 costas inanitur: in iis qui inediâ obierunt lien quam maximè
 tumet angusto & coërcito occurrente ventriculo. Arteria sple-
 nica longè progreditur, admodum flexuosa, quod & commu-
 ne est iis omnibus arteriis, quarum diameter & longitudo mo-
 dò augeri, modò imminui constat; quemadmodum in crassis
 intestinis, utero, facie, &c. Lienis substantia vasculosa est & fi-
 brosa. Ductûs excretorii absentia dissentientes Scriptorum exci-
 tavit opiniones, quas omnes hic recensere prolixius foret: pro-
 babiliorum, præstantiorum in Anatomia virorum judicio, expo-
 suisse satis sit: *Boerrhaavius, Heisterus*, aliique existimant lienem,
 hepatis sanguinem tenuem suppeditare, ut reliquus crassus ex
 cæteris partibus ad hepar influens, & ex quo bilis in denso
 hoc viscere secernenda, fluidior reddatur, bilisque secretio hoc
 modo promoveatur. Nam, inquit *Heisterus*, si vena splenica in
 cane, aliove animali vivente inciditur, sanguinem tenuem, floridum,
 subtilem effluere, sæpè deprehendi, nunquam verò crassiorem reliquo
 sanguine venoso. Eò fluidior est sanguis, quòd nullum inest lieni
 vas secretorium, atque adeò venam omnis aquæ portio subit,
 quæ fuit in arteriâ. Sic de usu lienis perillustr. D. Van Hal-
 ler. . . . Quando ventriculus cibis flatuque repletur, tunc lien
 in angustum spatium comprimitur, contra resistentes costas &
 incumbens septum transversum; & sanguis qui lentè & parcâ co-
 piâ per venam lienalem redibat, confertim nunc ex liene expri-
 mitur, celeriter ad hepar redit, admiscetur sanguini pigro, adipe
 pleno, omentali & mesenterico, hunc diluit, à coagulo &
 stagnatione conservat, & unâ abundantior bilis secretionem
 facit, tunc quando maximè hic liquor ad præsens digestionis
 opus requiritur. . . . Usus ergo lieni, ad promovendam bilis
 secretionem assignarunt viri perspicacissimi; sed partium dispo-
 sitio & consensus hoc viscus esse diverticulum sanguinis pro va-
 lidiori digestionem, in ventriculo incitandâ, demonstrare, viden-
 tur. Ventriculus etenim dum ingestis distenditur & ampliatur ma-
 jorem sanguinis copiam admittit, ut copiosior instituatur liquoris

gastrici secretio, major excitetur calor, itemque fibiarum carnearum motus. Sed distendi ipse minimè potest, quin assurgente ejus parte quæ ad hypochondrium sinistrum, quam tanquam coni quem præstat basim, consideramus, lienem adigat contrà resistentes costas & diaphragma; undè comprimatur insigniter. Ille ergo sanguis qui in lienem, ob eam compressionis vim penetrare non poterit, quà data porta, ruet in alteros certè cœliacæ ramos, gastricam arteriam præcipuè, quæ tunc majore sanguinis copiâ ad memoratos effectus scatere debet. Neque obstat quòd hujusmodi vasa tunicis sint intercepta; scimus enim nerveam tunicam, quæ in vacuo ventriculo plicas agit, multum esse dilatabilem, ut non comprimat vasa contrà resistentem anteriorem tunicam, imò tunc vasorum anguli & plicæ explicantur, rete illud Ruifchianum in majores areas expanditur, ut sanguini irruenti viam aperiat; quod certè in hoc casu fieri sic debet, cùm humorum influxus, cæteris paribus eò plus crescat, quò magis resistentiæ imminuuntur; quando porrò sese contrahente ventriculo, atque in plicas euntibus ejusdem tunicis, longitudo vasorum minuitur, ipsorum anguli crescunt, cumulantur, vis contracti ventriculi renititur, lien à pressione liberatur, & crescit in hoc viscus sanguinis fluxus, cui jam resistit ventriculus. Physiologicæ huic doctrinæ favent observationes ex Pathologiâ inferiùs eruendæ.

II.

EX CHIRURGIA.

Ventriculi vulnera.

PARTIUM in abdomine vulneratarum signa, à cognito earundem situ primò deducuntur; qualia enim delitescant viscera in læsis corporis regionibus docet rerum Anatomicarum scientia. Alia signa à vulnerati positurâ, à vi vulnerantis, ab instrumenti quo fuit inflitum vulnus consideratione notanda veniunt: sed impedita vel turbata fauciata partis actio, contentorum excretio, accidentiaque specificè à partis læsione oriunda veram vulneris explorant indolem. Hinc prætermisâ specilli immisione, utpotè inutili vel infidâ, imò nonnunquam noxiâ, ventriculum à penetrante in regionem epigastricam vulnerè læsum esse certo indicio demonstrabunt cruenta vomitio, cruentæque per alvum dejectiones, & quæ aliquando contingit ciborum per vulnus excretio: his accedunt epigastrii dolor

vehemens,
2

vehemens, sudores frigidi, lipothymia frequentes, extremorum frigus, convulsiones, ingestorum violenta per os ejection; consecutivè autem febris intensior, & reliqua quæ ex inflammato ventriculo, vel ex effusis in cavum abdominis cibo potuque, sobolescere possunt accidentia.

Hujus-ce visceris vulnera necessariò lethalia esse ex Hippocratis aphorismo 18. Sect. 6. judicarunt artis Antistites; hæcque sic se habere haud infrequens testatur experientia (a). Conscripta nihilominus leguntur exempla eorum qui ab hujusmodi vulneribus convaluere; quod quidem fortuitæ rerum dispositioni, singularique naturæ favori quidam retulerunt (b). Artis salutaris incremento sit cognitio & eorum quæ huic consolidationi favere possunt, & accidentium quibus lethalia esse constat ventriculi vulnera: juvantibus etenim promovendis, removendisque lædentibus, tum demùm invigilabit Chirurgia peritus. Mortem inferunt sanguis è vasis confertim erumpens qui nullo modo sisti potest; partis summè irritabilis inflammatio, quæ gangrænam faciliè accersit; & ingestorum in cavum abdominis effusio, viscerum putredinem certò paritura. Eventus autem salutaris causas occasionales judicio præsumptivo annotavit Bohnius; quales sunt, 1°. Corrugatio ventriculi quæ sit fibrarum mulculolarum contractione, undè vulneris labia committuntur. 2°. Ventriculi peritonæo, diaphragmati, vel aliis partibus agglutinatione. 3°. Omenti portiunculæ in vulnus insinuatio, quæ coalitionem juvet. 4°. Si per vulnus abdominis latius, ventriculi sauciati labia integumentis externis adducere, & unâ eademque futurâ hæc colligere liceat; quale quid ex voto successisse Schenckius, Suevus, aliique referunt. 5°. Denique si apertura ventriculi, ratione contiguitatis, cum labiis plagæ externæ ita

(a) Forestus. Lib. 6. Observ. Chirurg. 5.
 Amatus Lusitanus. Cent. 1.
 Thom. Bartholinus. Hist. Cent. 1. Obs. 24.
 Paulus Ammanus. Med. criticæ casu 48.
 Bonetus. Sepulchret. Lib. 4. Sect. 3.
 Bohnius. De renunciatione vulnerum, &c.

(b) Bohnius. Ibidem.
 Schenckius. De vulneribus ventric.
 Stalpart van der Wiel. Cent. 1. Obs. 39.
 Les Mémoires de l'Académ. Royale de Chirurg. tom. 1.
 Et Fallopius. De vulneribus capit. Cap. 12. *cujus notatu digna sunt verba.* . . . De ventriculo habeo quod dicam, nam sanavi mulierem & hominem è quibus egrediebatur chylus & cibus. Sanavi mulierem glande percussam plumbeâ ab anteriori & posteriori parte, & hanc Deus sanavit quia meretrix quondam fuit, jam castè & sanctè vivit.

B

coalescat, ut per meatum seu vulnus hoc patulum, quæ molesta sunt, rejiciantur. Hujus casûs exemplum commemoratur in Act. Reg. Chir. Acad. tom. I. à Chirurgo Altissiodorensi *M. Lasse* è suppeditatum. Penes artem non est ut cuilibet ex iis commodis consulat; quæ salubria sunt promovere potis est, & insalubria evitare. Pro operandâ ventriculi cum peritonæo coadunatione, futuram ut valdè periculosam rejicimus. Deligatio simplicissima instituitur. Plurimum sanè prodest ventriculi exinanitio: hanc non infauſto ſucceſſu, exhibitâ potione emeticâ, properare non timuerunt è Neotericis nonnulli: an cum prudentiæ laude judicent alii. Quantum discrimen adſit in hoc curandi aſu exindè judicamus quod fieri nequeat, quin inhiæt ventriculi vulnus à reſeſſu contractili fibrarum in diverſo ſenſu ſeſe decuſſantium, quarum ſoluta eſt unio: contractione quidem integrarum coarctatur ventriculus; ſed quanquam in omni ſenſu cavitatis ipſius diameter, etiam arctius minuetur, non fit in loco vulnerato major reſiſtentia, nullumque impedimentum tranſitui contentorum, undè effuſionis nocivæ in cavum abdominis metus non levis. Propinatum porrò emeticum dolores convulſivos, irritatione immediatâ excitat, in viſcere ultra modum ſenſili, & ſic ſpaſmodicè exagitato, ut parco etiam lenientis decocti haſtu, vomitus concitetur. Hunc ergo curandi aſum inter certas & ſtabiles curativas indicationes non admittimus, donec certior ac ſolidior experientia nos erudierit. Cruentas vomitiones at dejectiones ſiſtit, vaſa læſa conglutinat, & ſitim explet decoctum ſymphiti Aquâ Rabellianâ acidulatam, cochleatim exhibitum; quod temperans, vulnerarium, aſtringens & conſolidans remedium aquæ aluminosæ præponimus, quâ novimus vomitum omni ope compellendum, nonnunquam promoveri. Refocillatis viribus, quibus reſtaurandis Cardiacæ in uſum prudenter duci poſſunt, venæ ſectiones inflammationis periculum arceant; huicque præſtantiffimo præſidio, pro re natâ, inſiſtendum. Cohibitâ vulneris ventriculi hemorrhagiâ, ſirupus è ſucco limonum in decocto hederæ terreſtris vel alterius plantæ vulnerariæ, ſitim reſtinguit, nauleam, vomitionem ſiſtit animi defectionem & ſyncopen arcet. Nullus ſit victus etiam tenuiſſimus ante vulneris conſolidationem. Fruſtrata autem, toto curationis decurſu, chyli digeſtionis ac diſtributionis, vices implebunt clyſteres nutrientes quos præſtabit è jurulentis carnibus decoctum; elotis priùs, clyſmate purgante, craſſis inteſtinis. Si diſciſſis vaſis ſanguineis ingens cruoris copia in abdominis cavum delabatur, hanc effuſionem non inſanabilem credimus, edocti experientis feliciter jam celebratæ abdominis incisionis quam

contra aperturam dicunt (a) : in minori sanguinis effusione aliquam resorptionis spem concedunt observationes practicæ. Cum autem tenditur & intumescit venter ab effusione ciborum quibus infarcti erant vulnerati, inflammatione corripiuntur viscera, putrescunt, frigidum sudant ægri, animi deliquia patiuntur, tandemque exanimantur.

PRO educendis quibusdam corporibus extraneis in ventriculo delitescentibus, Gastrotomiam seu partium regionis epigastricæ & ipsiusmet ventriculi sectionem impavidè & beneficâ manu tentarunt Chirurgi meritissimi. Pragæ anno 1632 cultellum novem pollices longum Bohemus rusticus devoravit; post duos menses institutâ gastrotomiâ hunc cultrum extraxit *Florianus Mathis*, Chirurgus peritissimus; re equidem verâ, cultri acumen paulò supra ventriculi fundum ad sinistram partem extuberebat, verso ad dorsi spinam manubrio. Æger perfectè sanitati restitutus est (b). Anno verò 1635, in Borussia adolescens quidam rusticus stomachi languore laborans, cultrum fortè deglutivit, cujus manubrium imprudens in fauces immittebat, gulæ ad vomitum stimulantæ causâ. Ancipiti malo & haud dubium in exitium hominis vergenti, strenuum remedium Chirurgus adhibuit. Paulò infrâ costas sinistri lateris, integumenta, musculos abdominis & peritonæum ad ipsum usque ventriculum incidit; tùm eo pertentato & aperto, levi è vulnere cultellum exemit; Ægerque debitâ curatione brevi convaluit (c). Ex memoratis numquid nitimur ad gastrotomiam celebrandam, pro eximendis corporibus extraneis in ventriculo delitescentibus, quorum præsentia ægri certo certius vitâ periclitarentur?

Gastrotomia.

COMMEMORANDÆ hic ultrò veniunt observationes vulnerum ventriculi, quæ in fistulosum ulcus degenerata, plurimis annis aperta manserunt, superstite ægro, sic ut pro lubitu per hanc aperturam cibos potusque emittere, vel clauso per externum apparatus ulcere, eadem retinere potuerit. Bina hujusce casus exempla recenset *Schenckius*; in utroque vulneris ventriculi & partium continentium abdominis labia per callum communem ita coherant, ut hiatus superfuerit. *Covillardus*, Chirurgus Ademaromontanus, in observationibus Iatrochirurgicis (Obs. 41.) historiam refert cujusdam militis in expeditione insularum Lerinarum contrâ Hispanos, glande plumbeâ in ventriculum perfoffi, qui cibum & potum retinebat turundâ argenteâ in vulneris aper-

(a) Mém. de l'Académie Royale de Chirurgie. Tom. 1. & 11. des Epanchemens.

(b) Crollius, Præfat. Basilic. Chemicæ.

(c) Joh. Cluverus Epit. Histor. Lib. 2.

turam immisâ , callosis factis labiis non consolidatam. D. Noël dum viveret Aurelianensis Nosocomii Chirurgus primarius , secuit cadaver hominis qui æquè à vulnerato ventriculo convaluerat ; alimenta liquida per ulcus injecta coquebat : ventriculum hunc dono datum servat Mag. Foubert , qui Noëlum tunc temporis habebat Chirurgiæ Præceptorem. Ex observationibus recensitis proponendum venit , nùm Gastrotomia posset institui cum intentione aperturæ servandæ , ut patulâ hac viâ possint nutriri ii quibus integrè discissus est œsophagus. Constat enim in hoc casu , in praxi quidem rariori , quem tamen Paræus bis observavit , extremum partis læsæ alteri extremo uniri non posse , & exindè non in incerto vitæ discrimine vulneratos esse ; cum nutrimento suo corpus defraudari necesse sit. Nùm & celebrari posset hæc operatio cum , irritis successutentatis remediis in anginâ schirrosâ (a) , & tumoribus œsophagi strumosis resolvendis , lento marasmo concidunt ægri , ob denegatum cibo potuique transitum. An in certo vitæ periculo Gastrotomiam , anceps remedium , satius sit experiri quàm nullum , viderint æqui rerum æstimatores.

Hernia ventriculi.

EXTERIÙS in abdomine tumorem posse fieri à ventriculo intrâ partes continentes relaxatas concluso , observationes quamplurimæ testantur. Propè lineam albam in latere sinistro , sub spuriarum costarum cartilaginibus exoritur tumor ; post cibum assumptum increscit , in jejunio contrâ minuitur (nisi tunicæ ventriculi multùm laxatæ , vel cum sinu peritonæi coaluerint) & in supino ægri positu prorsus evanescit : à colo flatibus distento sursùm in saccum herniæ pelli potest ventriculus , qui in carceratione dolet , vomitumque movet , à quo incommoda , potiùs crescere quàm imminui observavimus : herniam ventriculi commemoravit Fabr. Hildanus , & quas publici juris fecit hujusce morbi observationes M. de Garengeot , eas notis , animadversionibus & novis exemplis illustravit celeb. Gunzius , Prof. Lips. in libro quem scripsit de herniis , ann. 1744.

HERNIA ventriculi curandæ ex sunt in genere indicationes curativæ , quæ cæterarum herniarum curationi conducunt. Prima quidem , salutiferæ manûs admotione in suas sedes pars emota reducatur : altera ut in iis retineatur ; huicque , vincturâ diligenter partibus accommodatâ , satisfat. Curationi perficiendæ multum proderunt parvus & tenuis victus , laudatus situs , &

(a) Vid. Illustr. D. Vanswieten , Comment. in Aphor. Boërrhaavii , 727.

quies. Viſtûs rationis utilitas probatur ex eo quòd ventriculo tanta vis inſit ſeſe contrahendi, ut poſt jejunium aliquot dierum, ad inteſtini ſerè anguſtiam ſeſe contraxiſſe viſus fuerit. Potum autem leniter aromaticum parcè & iteratò aſſumant; ſitque frigidus: ab hoc enim quantùm ad ventriculi robur reſtituendum ſperari poteſt, tantùm metui à calido aquoſoque potu in ventriculi infirmitate oportet. Hujus aſſertionis veritatem probat à potu calido & frigido diverſorum effectuum conſideratio.

CALIDÆ potu ventriculum debilitari in conſeſſo eſt apud omnes. Hinc in juvandâ vomitione, ope copioſi potûs aquoſi, florum chamæmeli infuſio, utpotè aromatica & corroborans, aquam puram præſtantiâ vincit (a). Quæ conſideratio arcendæ ventriculi atoniæ in omni caſu neceſſarii potûs aquoſi, pro re natâ, haheat: & cùm contrariorum eadem ſit ratio, potum frigidæ ventriculum ad functiones ſuas vegetiùs obeundas excitare ac corroborare dicunt. Hinc potûs frigidæ commoda in ſanîs celebrantur (b). Siculos memorant ante introductum nivis uſum, cùm in aère degant ſerventiſſimo, ac tepidiſſimis utantur aquis, quotannis, menſibus æſtîvis, maximo numero febrium peſtilentium tyrannide è medio ſublato; quod malum ferocire deſiit, ex quo primum nivis uſum in potu admiſere; & diligenti obſervatione fuit exploratum in urbe Meſſanâ quotannis mille numero pauciores, quàm ante nivis uſum homines interire: quò ſit ut vel è ſœce plebis pauperrimus quiſque opifex in annonâ procurandâ, non panem modò & vinum, ſed & nivem numeret. Frigidæ potus bilis fervidiorem æſtum compeſcit, corruptionis ac putredinis vim arcet, hinc iis prodeſt qui phaſianis & perdicibus, aliâve venatione, veſci amant putreſcentibus, & nares jam injucundo vapore, quem *Fumet* vocant, aſſicientibus. Cæterum regioni, anni tempori, temperamento, præſentique ſtatu attendendum. Otioſis nocet frigidæ potus, non aſſuetis & obſtructione laborantibus. Frigore enim adunantur inter ſe ſanguinis moleculæ, & ineptæ redduntur tranſitui per ultimos vaſorum fines: futuræ obſtructionis ſubitæ, inflammationis, & quæ indè ſequuntur malorum, maximum periculum eſſe notat illuſtriſſ. D. *Van Swieten* (c), ſi per calorem rarefactis liquidis & dilatatis vaſis corpori humano magnum & inſolitum frigus ſubitò con-

Potûs calidi & frigidi effectus varii.

(a) Clariffim. *Huxham*, Med. Angl. de febrîb.

(b) *Piſanelli* Med. Bonon. de aliment. facultatib. libell. aureo.

(c) De Pleuritide comment. in Aphoriſm. *Boerrh.* tom. 3.

cilietur. Indè patet, quanto se discrimini exponant imprudentes, qui à laboribus æstuant gelidæ potu affatim hausto ventriculum replent; multò magis si glacie frigidissimum potum ingurgitant: & *Lancisius* inter subitanæ mortis causas numerat frigidi potûs vel balnei usum, excalesfacto corpore.

Morbus cui præcipue obnoxius est Lien.

LIENEM sanguinis duntaxat diverticulum esse confirmant morbosæ affectiones quibus is frequentius infestatur; suntque ingurgitationes sanguinæ. Vir 40 annorum, constitutionis melancholicæ, hypochondriacâ affectione per aliquot annos mirè dive-xabatur, maximè tamen de dolore hypochondrii sinistri conquestus est. In illo lien amplius visus est, colore lividus & flaccidus: mesaraïca vasa & gastro-epiploïca, atro sanguine turgabant, & quasi varicosa conspiciebantur (a). Ex observatione *Georgii Garneri*, Medici, colligitur viri 39 annos nati, quem perperam pro vero hydropico curabant, cadaver anatomico examini subiectum fuisse: lienem maximum & latissimum viderunt, ita ut totum imple-ret abdomen, & solo sanguine turgidum: ventriculum verò tam parvum, ut vix vesiculæ effigiem referret. Reliqua naturaliter erant constituta (b). Innumeras melancholicæ passionis historias in quibus lienis venæ varicosæ & crasso sanguine fartæ, omnium symptomatum causæ erant prætermittimus. Qui venarum lienis amplitudinem, arteriarum capacitatem longè superantem, attentè consideraverit, is nullo negotio intelliget quomodo latex sanguineus, lentus, in liene nimiam agens moram, hunc infarcire & distendere possit, relaxationeque fibrarum novo sanguini affluenti locum præbere. Pathologicis observationibus mirè consentiunt quæ ex methodo mendedi depromi queunt. Lienis tumores ex hemorrhoidum internarum fluxu detumescunt, & quidem salubriter, ex observatione Medicorum Vratislaviensium (c). Vomitus etiam cruentis minuuntur. *Thomæ Bartholini* fratri non semel per vomitum largissimum cruenti feri lien magnus subsedit. Ex *Hippocrate* (d) quicumque lienosi dysenterîâ fugaci corripiuntur, curationem morbi recipiunt. Et *Duretus* lienosos dysenterîâ superveniente, sanescere dicit, qui sunt ejusmodi lienis duritate quam peperit diuturna humoris melancholici infarctura, secessu, trans-

(a) *Laurent. Wolfrigel*, Miscell. curios. ann. 1670.

(b) *Boneti* Anat. præct. lib. 3. sect. 21.

(c) *Histor. Morbor.* anni 1699, pag. 113. de tumorib. lienis.

(d) *Aphorism.* 48, sect. 6.

latione & vacuatione infarctorum lieni humorum melancholicorum crassorumque (a).

CAUTI sint Chirurghi in assignandâ sede tumorum qui in latere sinistro sub costis nothis spatium inter illas & illi spinam implent. Manus, post intestina clysteribus elota, jejuno ventriculo, admovendæ: tactu interprete non obscure patebit quod tumefactus lien suprâ mesenterium, intestina & ventriculi partem emineat. Erroris ansam multis præbuit intestinorum tenuium & crassorum distensio, ac ex his colon præcipuè, eâ parte quâ ad renem sinistram arcus figurâ deflectit, in regione hypochondrii delitescens. A flatibus coercitis, hoc ce tumoris genus formari scripsit *Ettmullerus* in disput. de dolore hypochondriaco; multique alii lienem frequenter vitii accusatum, sæpè inculpatum in melancholicis asserunt (b). Scientiæ salutaris certitudinem obtegit fluctuantium opinionum caligo, quam dispellere operæ pretium sit.

IN arte operandi, primaria lex est, & quidem maximi momenti, ut necessaria, & perindè possibilis sit operatio. Nullam *De lienis exsecutione.* esse extirpandi lienis necessitatem exindè fas sit affirmare, quod ex infarctu sanguineo, Lienosi applicatione hirudinum, & usu remediorum splenicorum quæ sunt antiscorbutica pleraque, & resolventia, perfectæ sanitati restituantur. Quos verò lienis schirrus torquet multum juvant emplastra discutientia, quorum præstantiam ex *Fabricio ab Aquapendente* audiamus. » Scio fuisse hîc » Patavii Medicum qui conabatur Chirurgiam de excidendo » liene probabilem reddere, quam ego tanquam absurdam nunquam volui audire, quia ex *Aristotele*, stultas opiniones disquirere stultum est, præsertim cum in lienis schirro remedium habeam probatum, quod est ceratum meum pro splene, confectum ex duabus partibus ammoniaci aceto dissoluti, unâ succi herbe reginæ quam tabacum vocitant, dimidiâ resinæ pini, terebenthinæ, & succi ebuli, unâ olei de capparibus & ceræ novæ Q. S. ad emplastri seu cerati formam adipiscendam; quod emolliente & digerente suâ facultate plurimos obduratos lienes sanavit (c).

(a) *Duretus* in *Coacas*, pag. 37.

(b) *Glissonius*, *Anat. hepatis*, cap. 45. *Hygmorus* de affect. hypochondr. cap. 4. *Silvius de le Boë* Disput. Medicar. 5. de lienis & glandularum usu.

(c) De Chirurgic. operationib, cap. 51.

POSSIBILITATEM eximendi Lienis probare videntur feliciter instituta in canibus experimenta, quæ nemo prudens in homine fieri proposuerit; licet Eques Leonard. Fioraventi Chir. Bonon. hanc Panormi, felici cum successu, operationem celebrasse testatus sit, in muliere cujus Lien ponderis erat unciarum duarum supra triginta. Hujus-ce Autoris fidem, utpotè empirici insignioris, suspectam habuerunt nonnulli (a) Tam arcuè per peritonæi membranas & vasorum commercium partibus vicinis neclitur Lien, ut sine hæmorrhagiæ lethiferæ vel inflammationis metu, viscerumque vicinorum damno eximi posse non videatur. Liene exsecto, providè etiam ligatis vasis, sanguinis cursus impeditus in vicinas partes, majori quàm par est copiâ, derivaret; undè earum functiones turbarentur: in cane cui cum experientissimo *Vallisnerio* lienem exsecuit D. *Morgagni*, cæteris rectè se habentibus unicum vitium observavit, bilis videlicet cysticæ colorem, non illum quidem flavum, sed ex subrubro ita obscurum, ut si aquæ in quâ caro recens lota esset multus Nicotianæ pulvis misceretur. Quæ observatio favere visa est conjecturæ *Malpighii*, à liene bilis secretionem juvari, opinantis (a). Hanc verò observationem, expositæ à nobis de lienis usu sententiæ adstipulari, credimus. Exsecto enim liene, major irruit in hepar sanguinis copia, ex quâ hujus-ce visceris oritur intemperies calida, secretioni bilis quàm maximè infesta. Ut ut hæc sint, à Lienis exstirpatione sese abstineant Chirurghi, ne salutare quo insigniuntur nomen, mortalibus invisum fiat.

(a) III. *Morgagni*, *Advers. Anatom.* III. *Anidmadv.* XLX.